



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Liber XIV. Quàm alienum à sensis Augustini sit Systema doctrinæ, quod
tribuere ipsi cupiunt homines non Catholici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

solum condemnationis ad perpetuam Divinae intuitionis privationem: En! quomodo tertium locum excludat, sed illum, quem volebant Pelagiani, nimirum locum felicitatis, & beatitudinis, tametsi extra regnum Caeleste. Necessaria est ad vitam aeternam obtinendam Eucharistia, tanquam adiectio baptismi, qualis tunc erat. Deum concludit collocationem ad dexteram pendere ex baptismo sine alia adiectione. Ratiocinium ejus non spectat, nisi remanentes ad regionem sinistram, quorum alii non possunt non aeternis addici flammis, alii non nisi ad privationem Dei perpetuam in inferno condemnari. Sanè, quod ad Eucharistiae necessitatem attinet, credendum est, non aliter eam docuisse Augustinum,

quam innuerat Innocentius, ejus se auctoritate tutabatur. Non omitemus in majorem ipsius, atque aliorum etiam hanc sententiam proferentium defensionem, animadvertere, quod S. Fulgentius per necessitatem participandi corpus & sanguinem Domini ab ipsis assertam, aliud non intellexerit, quam necessitatem suscipiendi baptismum, cum pluribus Scripturae locis comprobat: *Tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur.* Quam rem cum etiam docuerit Augustinus, potest jure optimo haec assertio; immo debet in ipso non minùs, quam Innocentio, & Gelasio hunc in modum explicari.

(1) Fulg. ep. 12. ad Ferr. n. 26.

FINIS LIBRI DECIMI TERTII.

HISTORIAE THEOLOGICAE

LIBER XIV.

Quam alienum à sensu Augustini sit systema doctrinae, quod tribuere ipsi cupiunt homines non Catholici.

VOCARI posset hic liber defensio Augustini contra criminationes, quibus ficti, falsique ejus sectatores in ipsum utuntur. Diluemus hic praeter nota sectariorum fundamenta varias etiam cavillationes, quae de Patris hujus doctrinis variis libellis, & commentariolis sparguntur; atque in vulgus emittuntur, communique persuadentur plebeculae. Videntes itaque Authores novi schismatis, admisit suis sophismatis solum liberi arbitrii nomen in vita remanere, novum prorsus ac insolens libertatis genus commenti fuere, ut aliquem saltem hujus colorem suis verbis obtinerent; scilicet, ad libertatem non reguli libertatem indifferentiae, id est ut utrumque possis ex duobus contrariis; sed sufficere, ut quis sponte ac libenter agat, quin ullam propositioni suae vim sentiat inferri; adeo quidem, ut qui peccat, cum non possit non id agere, neque aliud possit, quam peccare; peccet nihilominus liberè, modo peccet sponte, ac cum voluptate; quo fiat, ut modo prorsus inaudito simul sint arbitrium, & vis; libertas, & necessitas. Insolentem hanc, ac lepidam planè opinionem asserabant pro more se ex Augustino promississe, qui à nullà longius absuit cogitatione, quam ista. Possibile profecto non erat, ut mens adeo acuta, & sublimis

implicari potuerit sophismate, quod communi hominum sensui repugnat. Repugnare autem re ipsa deprehendet, quisquis ferè voluerit omnium sanae mentis hominum hac de re judicia exquirere. Illos enim si excipis, qui studio paritum, vel praedictatis praeventi sunt opinionibus, nusquam terrarum reperies hominem, seu vir sit, seu mulier, seu nobilis, seu plebejus, seu doctus, seu indoctus, qui in negotio quodam se liberum existimet, ubi non possit arripere, & omittere, neque habeat facultatem in utramque partem. Nihilominus vi sophismatum, & subdolorum acuminum simpliciorum, hebetiorumque mentes ita implicantur, ac perturbantur, ut similitudinibus ineptis, ac fallacibus delusi in errorem impellantur; adeo quidem, ut in re licet tam perspicua, & lumine naturae omnibus nota, miserè tamen involvantur. Animadvertere hic licet, quanto tutius saepe sit sensui omnibus sanis mentibus à Deo infuso deferre; quam ad abstracta reconditaque theoremata appellere animum; eos maximè, qui non alio saepe consilio, aut fructu student, quam ut discant, extinguantque etiam radium illum scientiae, quem omnis secum adfert homo, dum nascitur.

Augustinus
ubique asse-
rit liberta-
tem indis-
serentia.

2. QUAM alienus fuerit S. Augustinus à perversâ huiusmodi cogitatione, tamque erronei admisionis principii, abunde elucet ex illâ sententiarum silvâ, quam suò locò adduximus; quibus millies sanè expressit nostram ex utroque eligendi facultatem, istudque vel illud amplectendi; Item ubi recitat Scripturæ verba, quibus declaratur, propositum nobis esse ignem, & aquam, vitam & mortem; atque ad nos pertinere electionem. Disertis sæpe verbis declaravit, non posse in illum cadere unquam peccatum,¹ qui libero & ad faciendum, & ad non faciendum motu animi cavent.² In libero esse voluntatis arbitrio peccatum, & rectè factum.³ In nostro arbitrio Deum esse voluisse, cui paremus locum; Deo, an diabolo.⁴ Hominem si vult, heri fuisse paleam, hodie fieri frumentum. Operam sæpe dedit,⁵ ut liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel male vivitur, non ab unâ solùm specie, sed ab omni vinculo necessitatis vindicaret. Dixit, supremum conditorem meliores judicasse servos suos,⁶ si ei servirent liberaliter; quod nullo modo fieri potest; si non voluntate, sed necessitate servirent. Et sanè quid aliud est necessitas, quàm ita per alium determinari ad unum ex duobus, ut aliud eligere non possit? Notavit ibidem, quod paulo ante inauimus, veritatem hanc à sensu communi admitti, & quidem⁷ ita manifestam esse, ut nulla hinc doctorum, nulla indoctorum turba dissentiat. Posteaquam inseruerat definitioni peccati, tale illud esse oportere, ut eo liberum sit abstinere,⁸ hoc est, ut qui id admittit & possit peccare, & possit non peccare, adjuvit, id adeo esse manifestum, ac notum in omnes, ut ita cantent in montibus pastores, & in theatris poëtae.⁹

3. QUANTUM non excitassent strepitum Sectarii, si observavissent in D. Augustino dictum illud: *Præceptum liber facit, qui libens facit.* Verùm dicturi hic primum sumus; contextum, & scopum disputationis contrarium dilucidè ostendere, legique oportere: *Præceptum libens facit, qui liber facit*; qui sanè sensus communis est, & maxime conformis naturæ. Ità ibidem legimus:¹⁰ *Suavis es Domine, & in tuâ suavitate doce me iustitiam tuam, id est, ut non formidine poenæ serviliter cogar esse sub lege; sed liberâ charitate delecter esse cum lege.* *Præceptum quippe liber facit, qui libens facit.* Quis non videt, se qui inde debere: *libenter obedire, qui liberè.* Fac me operari per liberum amorem;

quia sic operabor liberè; cum libenter operetur, qui operatur liberè. Hic est sensus, ex præmissis citrà dubium inferendus. Si legitur, uti est in impressis, intelligendum est, eum, qui spontaneò amore facit, quod præceptum est, liberum esse metu servili; dicique proinde potest, eum liberè operari. Sic alio in loco:¹¹ *Qui enim per charitatem servit, liberè servit; & sine miseria obtemperans Deo, cum amore facit, quod docetur, non cum timore, quod cogitur.*

4. UNAM hic adjungemus reflexionem. Afferuit sæpe Augustinus, gratiam Divinam, quæ obvenit nobis per baptismum, & per redemptionem donatur, restituere naturam nostram in statum pristinum, hoc est in illum, qui carebat culpâ, quantum spectat ad iustitiam, non autem huius perfectionem. In ultimo Tractatu:¹² *In bonum autem, quod reliquit solius Dei gratia revocari potest homo, non voluntatis libertate, (*)* (ital. gendum.) *quam merito iniquitatis amisit.* Adducit eo loco authoritatem Innocentii Papæ, scribentis ad Numidios, necesse esse, ut Divinam gratiam¹³ etiam restituta nobis status pristini libertate, quæramus; eamque confirmat Sententiam. In libro de corr. & grat., tantam esse huius virtutem, ut¹⁴ *parum sit homini per illam reparare perditam libertatem.* Apparet in sphis subsequen- tibus, aliam ab Augustinò non statui differentiationem, inter libertatem Adami, & nostram, quantum pertinet ad operandum; nisi quod illa fuerit insita ac congenita; nostra verò recuperata. Explicuit verba D. Pauli ad Ephes. *Renovamini¹⁵ Spiritu mentis vestrae! ... In hoc renovamur, secundum id, quod amisit Adam.* Hoc autem posito inficiari quis poterit, quod censuerit Augustinus, arbitrium valere in utramque partem; suppositaque gratiâ perfectam indifferentiæ libertatem homines habere? Non posset hoc negari, quin simul negaretur, Adami libertatem ante peccatum fuisse libertatem indifferentiæ? Est præterea, quod hic advertamus. Vidimus doceri iterato ab Augustinò post primi parentis peccatum arbitrium non esse amplius perfectè liberum, nisi quantum liberatur per gratiam: sine hac enim non potest non suis obsecundare inclinationibus, nedum abstinere ab iis cum merito.¹⁶ Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus gratiam, unde fit liberum. Igitur non eam censebat esse libertatem, quæ ex duobus non potest

(1) de duob. anim. n. 17. (2) de quæst. 83. qu. 23. (3) in Pf. CXLVIII. n. 2. (4) Serm. 252. n. 6. (5) Con. Faust. l. 2. c. 5. (6) de ver. rel. c. 14. (7) ibid. (8) de duob. anim. n. 15. (9) ibid. (10) de gr. Chr. c. 13. (11) exp. ep. ad Gal. n. 43. (12) Op. imp. l. 6. c. 10. (13) c. 11. (14) de corr. & gr. n. 31. (15) de Gen. ad lit. l. 6. n. 31. (16) epist. 117. n. 8.

nisi alterutrum, licet eò totò feratur impetu, ac propensione, nullà prorsus sibi vi illatà.

5. Quid porro? In prolixis suis, atque acerbis contra Pelagianos disceptationibus, qui cum reliquo hominum genere necessariam ad libertatem esse indifferentiam, nullà eos de re vehementius increpuisset, quàm de hâc opinione, nihilque pertinacius impugnasset. Dum è contrario hoc in capite semper cum ipsis conspirat, neque unquam contradicit. Immo, quando agebatur de idea libertatis, affirmavit *commune* utrique parti dogma esse; ¹ erroremque Pelagianum in eo solummodo consistere, quod dicant: *ad colendum rectè Deum sine ipsius adiutorio esse in hominibus liberum arbitrium*. Sic Innocentius I: ² *Negantes auxilium Dei inquirunt, hominem sibi posse sufficere; nec gratiâ hunc egere Divinâ*. Sic epistola Concilii Milevitani: nova hæc hæresis docet, bonum in nostrâ positum esse facultate, ³ *et ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem*. S. Augustinus in *Op. imperf.* refragatur quidem Juliano nomen suum inter Dialecticos profitenti, uti pluribus in locis videre est; ac porro contendenti veram esse hanc propositionem universalem: *liber non est, quisquis non potest utrumque*. Ostendit ei Augustinus, generatim, ac universè loquendo non semper veram esse, quia & Deus, & beati malum velle non possunt; & tamen sunt liberi. ⁴ *Si liberum non est, n. si quod duo potest velle, id est bonum, & malum, liber Deus non est, qui malum non potest velle*. Ostendit non ita definiendum esse arbitrium, cum omnes, qui eò pollent eadem complecti definitione volumus ⁵ *Hæc definitione . . . ipsi Sancti in regno ejus liberum arbitrium perdituri sunt*. Ostendit plures libertatis distinguendas esse species. Deus, & animæ beatæ habent libertatem, & potestatem; quatenus libertas, & potestas sunt perfectio; non quatenus aut includunt, aut supponunt imperfectionem. Posse peccare citra dubium est imperfectio, uti & posse mori. ⁶ *Prima libertas voluntatis erat non peccare; novissima erit multò major non posse peccare*. *Prima immortalitas erat posse non mori, novissima erat multò major non posse mori*. Libertas Dei, & beatorum est ordinis superioris, & diversi; & à quâ non valet argumentatio ad nostram; & quemadmodum ex eo, quod Deus & Angeli vivant, quin respirent, non potest deduci,

ci, respirationem non necessariò ad hominis vitam requiri, rerum enim incorporearum vita alterius est speciei. Ita pariter, tametsi Deus, & beati liberi sint, nec possint tamen operari nisi bene, inferri non debet, liberos etiam esse posse homines sine facultate ad utrumque; est enim hæc diversa planè libertatis species. Docuit itaque S. Doctor Divinæ potestati non officere; quod mori, aut falli non possit; nec ob stare libertati, quod ita vivat, ac necessariò omnia prævideat; hujusmodi enim impotentia, & necessitas perfectio est; quapropter potentia ejus, & libertas manent intacta, utpote quæ nullum in se debent defectum includere. ⁷ *Neque enim aut vitam Dei, aut præscientiam sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse, Deum vivere, & cuncta præscire: sicut nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse*.

6. Et quoniam Julianus amabat *Dialecticorum* ⁸ quasi jaculis oneratus in certamen procedere, ejusque sectatores *Dialecticos* judices de scholis Peripateticorum, & Stoicorum voluissent, Augustinus Julianum tanquam ineprum Logicum explodit, propterea quòd propositionem hanc à se prolatam: ⁹ *Omne quod peccare potest, ex nihilo factum est*; confunderet cum aliâ hæc à se non prolata: *Omne quod ex nihilo factum est, peccare potest*. Atque ita ad explodendam culpam originis, contendebat, definitionem peccati includentem in se abstinendi facultatem, competere omni debere peccato; non advertens, definitionem hanc datam non fuisse ad illam etiam speciem peccati significandam, quæ pœna peccati est, ¹⁰ maculam, inquam, originis. Veruntamen, ut planum fiat quantum absit, ut Augustinus Deum licet peccare non possit, liberum tamen asserens, in animam habuerit ex eo inferre, neque nos, licet liberi simus, posse nisi unum tantum ex duobus, sufficere ipsorum horum locorum seriem observare; quia in iisdem planè paginis, ubi id contra Julianum asserit, sæpius etiam docet: *hominem*, ¹¹ *ex quo incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare, & non peccare posse*. Quis posset amabo loqui clarius? Contra definitiones, & argumenta, quibus evincere se putabat Julianus, esse etiam in homine potestatem actûs boni meritorii, responsio Augustini alia non erat, quàm, ¹² *non negare se liberum arbitrium*; sed dicere, quod esset in homine per filium Dei liberantem; dixisse quidem

Exploditur
ab Augusti-
no Julianus
tanquam
ineptus dia-
lecticus.

Occurritur
objectioni.

(1) de nupt. & conc. l. 2. n. 8. (2) ep. 30. n. 3. (3) v. Innoc. I. epist. 26. n. 1. in Collect. P. Contant. (4) Op. imp. l. 1. c. 99. (5) l. 6. c. 10. (6) de corr. & gr. n. 33. (7) de Civ. D. l. 5. c. 10. (8) Con. Jul. l. 3. c. 7. & l. 6. c. 20. (9) l. 5. c. 39. (10) l. 1. p. 889. Hic peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est; non quod etiam pœna peccati. (11) Op. imp. l. 1. c. 98. (12) l. 1. c. 74. & l. 3. c. 120.

se, neminem esse liberum ad bene operandum, hoc est *sine adiutorio Dei*, id quod tacebat Julianus, & malo dolo truncabat. Ex toto ratiocinii Systemate ampla peti potest confirmatio doctrinae aliis in libris à Magistro nostro expositae.¹ Non esse peccatum, nisi pravam liberae voluntatis assensum, cum inclinamur ad ea, quae iustitia vetat, & unde liberum est abstinere. Neglectio sanæ Philosophiæ morum, solennis item communisque Aristotelis, proscriptio forte non sine causa procurata, cum nemo melius quam ipse de actibus humanis, & voluntarii ratione egerit, non parum contulit, ad exponendos nos quibusdam opinionibus exoticis, & sensui communi contrariis. Docuit Aristoteles, quod electionem præcedat consultatio; neque consultatio instituatur unquam, nisi quando utrumque est in potestate; docuitque² eatenus pendere à nobis virtutem, aut vitium; quatenus penes nos est facere, & non facere, & quatenus efficere possumus ut quid sit, vel non sit.

*Asseritur
ab hereticis
gratia ne-
cessaria.*

II. ALTERA arbitrium abolendi via sub religiosa gratiam exaltandi specie erat, quod insinuarent, huius virtutem esse necessitatem; quemadmodum nobis testis est Augustinus. Quà de re cum alibi egerimus, non adferemus hic nisi novam quandam animadversionem in alias expressiones à Scripturâ & ipso adhibitae. Opinio hæc è diametro suæ adversatur doctrinae. Quoties non inter cetera sua dogmata inculcat, ut³ ad hoc se intelligant homines habere liberum arbitrium; non ut superba voluntate respuant adiutorium, sed ut Dominum, de illo concedendo implorent. Quoties non monet, damnatos⁴ Divinam misericordiam per liberum arbitrium respuisse, & positumque esse in libero arbitrio, ut homo credat liberatori, & accipiat gratiam! Expressit sæpissime ipsissima etiam scripturæ verba de homine sæpe gratiæ resistente, eamque repellente; & renuente. Sine hac facultate nullum haberet homo in bonâ operatione meritum: quandoquidem ut Sanctus docet⁵ si concupiscentiæ non potest, resisti, sine peccato ceditur: quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Sic docuit: si gratiæ non possit resisti, ipsi obediri sine merito, cum meritum esse nequeat, ubi non est libertas.

*Longè ab
hac opinio-
ne abest Au-
gustinus.*

2. TANTUM abest, ut Augustinus liberam arbitrio potestatem auferri per gratiam existimaret; ut potius asseruerit non

semel, per hanc illud perfectè liberum evadere. Si res ita se non haberet, efficeret gratia ut à servitute unâ transfret ad aliam, nobiliorem illam quidem, & feliciorem, non eam tamen quæ libertatis gauderet nomine. Cum secundum Doctorem nostrum Christum illa⁶ non premet animas servitutis iugo, sed ad se imitandum libertate convertat. Siquidem recipere gratiam, non est propriam voluntatem amittere. Quamobrem cohortatur Apostolus, ut gratiam in se vacuam esse non sinant. Exaggeranti Juliano, fieri ita hominem bonæ voluntatis, secundum Sancti nostri doctrinam, ut bonum velle cogatur.⁷ Absit, respondere ipse, absit, ut hoc dicatur à nobis. En eandem amphibologiam jam inde ab eo tempore natam ex verbis Augustini malè intellectis! En indubitatum eorum, quam ab ipso habemus, illorum declarationem. In cuius rei confirmationem observetur explicatio, quam ipsa adfert in locum illum Isaia: *Expectavi ut faceret uvam; fecit autem spinas.*⁸ Ita ipsius versio legebat; cuius loco substituit vulgata *labruscas*. Docet ipse, vineæ nomine hic venire domum Israël, Deumque hanc increpuisse, quia expectabat, ut faceret uvam; fecit autem spinas.⁹ Id quod ad Judæos applicat, quibus prædicatum fuit Evangelium in vanum; quapropter dixerunt ad eos Apostoli:¹⁰ *Ad vos missi evamus, sed quia respicistis verbum Dei, ad alias proficiscemur nationes.* Hic autem diligenter advertendum est. Si expectabat Deus uvas à vinea, hoc est, ut converterent se Judæi, habebant certè omnem illam interiorem gratiam, quæ sufficit, ut reapse se quis convertat. Si nihilominus uvas non protulit, id est, si Judæi se non convertère, consequens est, gratiam non semper vincere, nec se ipsâ conversionem producere.

3. NIHIL tamen luculentiùs ostendit, quàm longè ab eo abfuerit, Augustinus, ut crederet, gratiam secum necessariò trahere voluntatem, quàm ipsa susceptarum contra Pelagianos, & Semipelagianos disputationum series. Quoniam de nullâ aliâ re cum ipsis crebrius fuisset disputaturus, nullâque in re vehementius eos urfisset, quàm ut admitterent ineluctabilem hanc gratiæ vim, à cuius ideâ tam longè disjuncti erant, atque alieni. Attamen ipse de hac ne verbum quidem, totumque in libris, & adversus ipsos conscrip-

(1) De Gen. ad lit. lib. imp. n. 3. (2) Aristot. Eth. l. 3. c. 7. κατὰ τὴν προαίρεσιν... ἐπ' ἡμῶν δὲ καὶ ἡ ἀπο-
τὴν, ὅπου δὲ καὶ ἡ κακία, ἐν οἷς γὰρ ἐπ' ἡμῶν τὸ πρᾶξαι, καὶ τὸ μὴ πρᾶξαι, καὶ ἐν οἷς τὸ μὴ, καὶ τὸ ναί. (3)
ep. 157. n. 7. (4) Act. cum Fel. c. 8. (5) Exp. quar. prop. n. 44. Vos semper Spiritui Scto resistitis. (6)
Act. VII. Vocavi, & renuistis. Prov. 1. 24. Sed quoniam repellitis Act. XIII. 46. &c. (7) de lib. arb. l. 3.
n. 50. (8) in Pl. CXVIII. l. 8. de gr. & lib. arb. n. 12. (9) Op. imp. l. 1. c. 101. (10) in Pl. XXXV.
n. 8. (11) Act. XIII. 46.

tis tractatibus, aliud nec prædicat, nec urget, quàm ut fateantur non posse se bene vivere sine auxilio superno; principiumque bonæ voluntatis, & fidei venire à Deo. ¹ Si Pelagius, ut dixi consenserit, non solum possibilitatem, sed etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei.... nihil de adiutorio Dei, quantum arbitror inter nos controversiæ relinquatur. Non igitur contendeat, ab ipso, ut adiutorium gratiæ crederet insuperabile; sed necessarium. Quodque maximè ipsi displicebat in Pelagio, illud erat, quod ² nollet ab illo suo manifestissimo dogmate recedere, quo asserbat, voluntatem, & actionem nullo Dei adiutorio indigere. Atque ita porro sextentis aliis in locis. Ancipites Semipelagianorum propositiones faciliè admisisset, ³ si intelligere voluissent, & confiteri, etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adjuvat gratia, non esse potuisse in homine, si non præcederet gratia. Aliud igitur non quærebat, nisi ut gratiam prævenientem, ejusque necessitatem agnoscerent; propterea quod ab ipsa sit facultas hominis ad bonum, atque ad id faciendum excitatio. In epist. ad Alipium ⁴ accuratè enumerat singula capita, quæ confiteri deberet Pelagius, ut bonus foret Catholicus, omnemque opinionum erronearum suspensionem tolleretur; nec ullam tamen facit mentionem de majore, vel minore energia gratiæ; quippe de quâ nec contra Pelagianos, nec Semipelagianos disputatum unquam fuit; unis ab operibus, aliis à fidei initio, ac voluntatis principio omnino eam excludentibus. ⁵ Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari hominem gratia Dei, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum opus voluntate nihil eam credatis operari. ⁶ Pelagiani dicunt, ab homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus subsequens gratia tribuat adjumentum. Advertat itaque, quisquis pollet ratione, quâ veritate, & quâ fronte communi plebeculæ & literarum rudi persuadeatur. S. Augustinum Pelagianis, aut Semipelagianis opinionibus accensuisse eam, quæ voluntatem gratiæ resistere posse tuetur. Advertat itidem, annon ipsissimæ Augustiniano dogmati inhæserit SS. Concilium Tridentinum, quando definivit, hominem ⁷ inspirationem illam recipientem, illam & abjicere posse; & quando anathema dixit om-

ni, qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum... non posse dissentire, si velit. Contra primos hujusmodi hæreseos parentes definièrat jamtum Concilium aliquod Provinciale in Galliâ: ⁸ Non esse tale Dei trahentis auxilium; cui resisti non possit.

III. INCASSUM nonnulli conantur ex τὸν trahere vim & necessitatem deducere. Optimè sanè id exponit Magister noster. ⁹ Videte, quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo. Ecce, quomodo trahit! Quandoque hoc modo innuit auxilia efficaciora, ac gratias vehementiores; ¹⁰ Quem trahat, & quem non trahat; quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare! Semel accipe, & intellige! (observa, quod sequitur) nondum traheris? ora, ut traharis. Si non sentis te moveri, utere communi gratia ad implorandam à Deo majorem. Sibi itaque vitio vertat, si quis non trahitur. Necessè esse, ut Pater nos trahat, secundum Chrysostomum significat, ¹¹ non posse nos quidquam sine ope Divinâ. Frustra item ad evincendum, quod homo sit principium merè passivum, adferuntur dicta hæc ex Augustino & Scripturâ: Deus dat velle & operari; Deus operatur in nobis velle, & operari, Deus facit, ut operemur, & alia hujusmodi. Vide libri tertii nostri caput quartum. Magna eruere conati sunt mysteria ex græco verbo: ἐνεργεῖν, quando reapse aliud non significat, quàm operari. Habetur itidem in SS. literis: ¹² Facite vobis cor novum & spiritum novum. Si converteris, convertam te. Habetur pariter in D. Augustino: In tuâ potestate est consentire, aut non consentire. Item ad implendam justitiam aliud non requiritur, quàm ut serid velis. Cur igitur non hæc etiam loca proferuntur, quæ multò majore numero leguntur; illa alia autem sola? Audemus igitur, dum utraque consideramus, dicere, pugnare secum ipsâ Scripturam; atque antilogiis scatere Augustinum? annon inferemus potius, veritatem ex utrisque inter se collatis resultare?

2. QUI verba illa ad literam accipit, quasi Deus se solo nostrum velle efficiat, ideòque ob ejus omnipotentiam pereat liberum arbitrium, aut non legit Augustinum, aut non intellexit. Siquidem eò maxime, ut in hunc nemo errorem incideret, distinctè non semel monuit: ¹³ Non, quia dicit Apostolus: Deus est, qui operatur in no-

(1) De gr. Chr. n. 52. (2) n. 45. ep. 178. n. 1. de gr. Chr. n. 4. (3) Ad Bonif. l. 4. n. 13. (4) epist. 186. n. 33. (5) ad Bonif. l. 1. n. 37. (6) Ad Bonif. l. 4. n. 30. (7) Sess. 6. Can. 4. (8) Conc. Senon. Decr. 15. (9) in Jo. Tr. 26. n. 7. (10) ib. n. 2. (11) In Jo. Hom. 46. n. 1. ἡμεῖς ἐν τῇ ἐκείνῃ τῇ ἐκείνῃ. (12) Ezech. XVIII. 31. Jer. XV. 19, in Pl. XCI. n. 3. (13) de gr. & lib. arb. n. 21, de Spir. & lit. n. 54. de don. persev. n. 33.

bis & velle, & operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abfuisse putandus est... Nunquid homines Dei, qui hoc scripserunt, imo ipse Spiritus Dei... oppugnavit liberum arbitrium? absit. Advertatur speciatim ubi docet: Alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo. Post illud, quod etiam Deus operetur in nobis operari adjunxit Augustinus: Hoc vobis expedit, & credere, & dicere: hoc est primum, hoc est verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo. Ex quo colligimus, exhortari ipsum nos ad credendum, atque ita loquendum, humilitatis recolendae causâ; in quam sententiam non semel Chrysostomus, alique ex antiquioribus nobis locuti sunt; non quasi censerent verum esse¹ ad literam, quod nostrum bene operari totum sit à Deo; nisi eo sensu, quod & arbitrium, & existentia, & omnis nostra potentia sit ab ipso. Perrexit porro Augustinus loco relato: ² Nunquid quia dixit: Deus est, qui operatur in nobis velle & operari pro bonâ voluntate suâ; ideo non ipse & ut velimus, quæ Deo placeant, & ut operemur, hortatus est? aut quia dixit: qui in vobis bonum opus cepit, perficiet usque in diem Christi Iesu: ideo, ut inciperent homines, & perseverarent usque in finem, ipse non suavit? Ipse Dominus hominibus præcepit, ut crederent;... nec tamen ideo ejus falsa sententia est... Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Vidimus sæpe docere Augustinum, eum qui hortatur, ut faciamus, qui jubet ut faciamus, non facere se solo, sed supponere obediendi facultatem! Quoties non delarat: ³ Ut velimus... & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.

3. Ad evolvendum sensum hujusmodi expressionum, adferemus hoc loco auctoritates, hætenus, quantum quidem meminimus, à nobis nondum recitatas. Docuit itaque per rō dare nobis velle significari sæpe gratiam prævenientem. ⁴ Si non prævenit gratia, ut operetur eam, sed prius existenti voluntati gratia cooperatur. quomodo verum est, Deus in vobis operatur & velle? - Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus, ... efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Postquam dixerat: Nos facimus; sed ille facit, ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus: rem totam declarat inquit: Hæc est gratia Dei bonos faciens nos; hæc est misericordia ejus præveniens nos. - Ut venirent vocati, erat in eorum

liberâ voluntate: vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bona voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus. Scribit alio libro: Neque enim credere potest quodlibet (*) libero (*) 1. qui. arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat. Profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine; & in omnibus misericordia ejus præveniet nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Adverte, ex eo, quod dixerit Apostolus, Deum in nobis operari velle, natum esse morem gratiam prævenientem alio etiam nomine vocandi operantem. Neque injuriâ ita vocatur; siquidem, uti vidimus, docet Doctor noster, per hanc solum Deum operari, dum per secundam operatur unâ cum nobis. ⁵ Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona opera pietatis operari nihil valeamus. De operante illo, ut velimus, dictum est: Deus est, qui operatur in vobis & velle. De cooperante... Scimus, inquit, quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ita in quæst. ad Simpl. legitur: ⁶ Etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. At sequitur: Quia misericordia Dei sola non sufficit; nisi consensus nostræ voluntatis addatur. Dixerat paulo ante: quod autem voluerimus, ipse præstat, id est posse bene agere; quod certe solus præstat. Dicit eodem loco: Ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum: suum vocando; nostrum sequendo. Verbo: ⁷ Quia non præcedit voluntas bona vocationem; sed vocatio bonam voluntatem; propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus. Ubi habet, quod Deus non credentes ad se ipsum omnipotentissimâ facilitate converterat, ac volentes eos nolentibus faciat, agit de fide; ostenditque non Deum à voluntatibus hominum præveniri; sed confitendum esse, gratiâ Dei præveniri hominum voluntates. Tantundem denotat rō præparare. Si misericordia Dei non prævenisset voluntates, non præpararetur voluntas à Domino. Adducit sæpe dictum illud, quod gratia non conducit, sed irahat; explicans, ita loqui Servatorem, ⁸ ne illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Adfert verba Ezechielis, quod Deus evellat cor lapideum; exponens his verbis declarari, bonum meritum bonæ voluntatis primam gratiam in homine non præcessisse. Relatè ad prævenientem, quæ semper præcedit, propriè voluntatem appellavit pedissequam, non præviam. ¹⁰ Magnæ elu-

Gratia operatur, cooperatur, præveniens &c.

(1) de pecc. mer. l. 2, n. 7. Ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est ad Dei dona, pertinere non ambigens. (2) de don. perf. n. 34. (3) ad Simpl. l. 1, qu. 2, n. 10. (4) Op. imp. l. 1, c. 95. de quæst. 83, qu. 68. Cont. 2, ep. Pelag. l. 4, n. 15, quæst. 83, qu. 68. ad Simpl. l. 1, qu. 2, de Spir. & lit. n. 60. (5) de gr. & lib. arb. n. 33. (6) ad Simpl. l. 1, qu. 2, n. 12. (7) ibid. (8) ep. 217, n. 24. (9) ad Bonif. l. 1, n. 37. (10) de gr. & lib. arb. n. 29. epist. 186, n. 10.

tubratæ fuerunt commentationes in dictum illud, quod Deus operatur propter suam gloriam, & non propter nos. Verborum autem horum vim ita Sanctus interpretatur: ¹ Nihil magis evertit Pelagianos, dicentes, gratiam Dei secundum meritum nostrum dari.

4. ALIAS omnes hæc expressiones, ut Author noster docet, aliud non significant, nisi generatim auxilium Divinum; nihilque sine illo fieri posse. ² Non est homo bonus si nolit; sed gratia Dei etiam ad hoc adjuvatur, ut velit. ³ Meminerimus ipsum dicere: facite vobis cor novum, qui dicit, dabo vobis cor novum. Quomodo ergo, qui dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? quare jubet, si ipse daturus est? nisi quia dat, quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet? Diceret, ⁴ victoriam, quâ peccatum vincitur nihil aliud esse, quàm donum Dei, (credas hominem nullam hic sibi partem vendicare;) sed pergit: Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. ⁵ Qui dixit: Inclina cor meum, ipse item discebat: Inclina cor meum, ut intelligamus simul hoc esse & Divini muneris, & propriæ voluntatis. In quibusdam locis habetur, continentiam esse donum Dei; in aliis contrâ habetur esse partum gratiæ, & arbitrii; igitur in primo loquendi modo non satis expressum est, à quo procedat. Novimus jam tum ex Magistro nostro, ⁶ plerumque ita loqui Scripturam, ut, quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur. Ubi loquitur de gratiâ illâ peculiari, quæ tetigit cor D. Petri post peccatum, illudque in fletum solvit: Ecce! ait; ⁷ quemadmodum Deus adjuvando adest voluntatibus, & actionibus nostris: ecce quemadmodum velle, & operari operatur in nobis! Eodem libro: Velle, & operari operatur in nobis; non, quia nos non volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. ⁸ Non possumus ne os quidem aperire, nisi operante adiutorio Creatoris; quando tamen id appetimus, ⁹ sit illius adiumentum, & opere nostrum. ¹⁰ Totum hoc tu fecisti; quia laborantes iuvisti. In ipsis illis locis, quibus habentur expressiones illæ, quæ videntur omnia tribuere gratiæ, declarat, gratiam esse adiutorium. ¹¹ Magnum adiutorium Divinæ gratiæ, ut cor nostrum, quod voluerit Deus, ipse declinet. Cum his sententiis consociare oportet alias illas ejusdem Sancti: ¹² Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur. Si non esses operator, ille non esset cooperator. Nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur.

Vide sis amabo, si ad ejusmodi doctrinæ systema accommodare, atque adaptare se possit, qui fundamenti loco statuit, gratiam esse motum indeliberatum delectationis Cœlestis, quæ necessario secum trahat velle, quia prævalet terrenæ.

5. FUERUNT nostrò ævò, qui inter doctrinas gratiæ adversantes, atque ab Augustino damnatas referre voluerunt, opinionem admittentem æquilibrium in voluntate; hoc est facultatem se in utramque partem ex æquo inclinandi; non scientes, aut non scire fingentes, reprobaturum fuisse æquilibrium Pelagianum; at non Catholicum. Consistebat quippe Pelagianorum error in eo, quod boni etiam supernaturalis facultatem supponerent esse naturalem arbitrio, sine ope gratiæ. Extra hunc errorem non modò Basilii, & Nazianzenus, sed ipse pariter Augustinus tale æquilibrium docuit, ac disertè expressit: ¹³ Tam bonum certè, quàm malum ex propria homo, sicut dicitis, voluntate facit; & utriusque in illo possibilitas *ÆQUA LANCE LIBRATUR*: sed ad bene faciendum Deus adiutorium subministrat. Est modò, qui huic æquilibrio errorum multorum radicem tribuat, referens Sanctum, ubi habet, liberum arbitrium fuisse vitiatum: sed ipse hic subjungit, ideo utique sanandum esse à Salvatore; & Pelagianos non volentes id cum Ecclesia confiteri, hinc esse hæreticos. ¹⁴ Non, quod credant, posse hominem elicere bonum æquè ac malum, postquam sanatus est. Damnabat itaque Pelagium ¹⁵ aliquando ita pavibus momentis potestatem voluntatis æquâ lance perpendentem; ut, quantum ad peccandum, tantum etiam ad non peccandum valere definiret: damnabat autem hoc ipsius sensu, secundum quem nullus locus adiutorio gratiæ reservabatur.

IV. OBSERVEMUS porro, quam vim Author noster tribuerit modo illi loquendi; quem habemus in D. Paulo: Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Abutuntur hoc effatò nonnulli, ita illud exaggerantes, ut si horum stamus iudicio; in bono opere nihil amplius agat homo; atque actionis bonitæ non modò causa principalis, sed & totalis sit Deus: contrâ, quàm docuit, statuitque Concilium Tridentinum; quando definiit: ¹⁶ Eidem gratiæ liberi assentiri hominem, & cooperari... quippe qui illam & abjicere potest; & quando definiit, vitam æternam non tantum esse gratiam; sed & mercedem ex ipsius Dei promissione, anathema intentans ei;

(1) ad Bonif. l. 4. n. 14. (2) ibid. l. 1. 36. (3) de gr. & lib. arb. n. 31. (4) n. 8. (5) in Pl. CXVIII. Serm. 23. n. 8. (6) in Pl. LII. n. 5. (7) de gr. Chr. n. 49. & n. 26. (8) de Civ. D. l. 12. c. 9. (9) ad Bonif. l. 2. n. 20. (10) Serm. 158. n. 2. (11) de gr. Chr. n. 24. (12) Serm. 157. n. 11. (13) Op. imp. 1. 5. n. 48. (14) Op. imp. l. 3. n. 10. (15) ep. 186. n. 34. 1. Cor. IV. 7. (16) Trident. sess. 6. c. 5. c. 16. Can. 41. & 33.

qui dixerit non posse hominem dissentire, si velit; item, qui dixerit: hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus... non verè mereri argumentum gratiae, & vitam aeternam. Eadem hæc doctrina sexcentis locis apparet in D. Augustino. De Jacobo ait: ¹ Fratrem suum, cum quo habuit communem causam, videt per iustitiam meruisse damnari; non nisi per gratiam potuisse discerni. Quod si ² dixerit homo: fides mea, voluntas mea, bonum opus meum; responderetur ei, ait Pater noster, Quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis? Hoc itaque totum ideo dictum fuit, non, ut homo non gloriatur; sed, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur. Et cum quis dixerit: Ut merear iustificationem, habeo fidem, responderetur ei: Quid enim habes, quod non accepisti? Disserit etiam alibi fufius de illo: Quis te discernit? & concludit, illum discernere, qui tenebras secrevit à luce. ³ ut iustificatis impiis dicatur: Fuistis enim aliquando tenebrae: nunc autem lux in Domino. Miros dolos nexuerunt nonnulli ex mutilis quibusdam verbis, ex paragrafo aliquo de prædestinatione depromptis; ubi Augustinus eadem contra Pelagianos omnia homini tribuentes repetens, ostendit, aliud hoc dicto inferre nolle Apostolum, nisi quod gloriari nos oporteat in Domino: ⁴ nihil autem huic sensui tam contrarium esse, quam de suis meritis sic quæquam gloriari; tanquam ipse sibi ea fecerit; non gratia Dei. Intellige de illa gratia, quæ bonos discernit à malis; non quæ communis est bonis, & malis.

2. PLURES hisce verbis aptari possunt sensus ex æquo Catholici: quò autem ea reapse protulerit D. Augustinus, ipse mox prodit contextus. Disceptabat ipse cum Semipelagianis, contendentibus; gloriari posse hominem, de principio fidei, tanquam suo, atque ex naturæ donis proveniente. Interrogat igitur: ⁵ Nunquid enim per hæc dona (naturalia) quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Atqui dixit prius Apostolus: Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Pergit porro Author noster ostendere, quantus error sit, gloriari de se ipso, & non de gratia, quæ bonos à malis discernit; hoc est illos qui à natura habent, quod possint habere ⁶ fidem; quòd omnium est, & tamen eandem non habent; & illos, qui eandem re ipsa habent. Proposuit aliquando dubium, an

etiam Dei donum vocanda sit voluntas; quæ creditur. Si enim dixerimus, non esse donum Dei metuendum est; ⁷ ne contradicamus dicto illi: Quid habes, quod non accepisti? Si dixerimus esse, viam pandemus infidelibus, suam excusandi incredulitatem, dicendo: non accepisse se huius generis voluntatem. Difficultatem hanc dissolvit in hunc modum: ⁸ Et ideo ne istam voluntatem, qua credit Deo, dici potest homo habere, quam non acceperit; quandoquidem vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit. Ipsum liberum arbitrium, cuius partus est volitio, à quo habemus, nisi à Deo? Habemus etiam ab ipso, quod existamus: Quare si quisquam dicit à Deo, aliquid deberi meritis suis, certè ut esset ei non debebat. ⁹ Omnis potentia nostra, & quidquid habemus, ab ipso est: ¹⁰ Præterea ad Deum nos convertere, nisi ipso excitante, atque adjuvante, non possumus. Hinc dictum est: Quid habemus, quod non accepimus? Et iure dixit Sanctus noster: Dona sua ¹¹ coronat Deus, non merita sua. Quo significatur obstrictos nos esse Deo de omnibus, atque de ipsa etiam actione; quia nascitur ex ipsius virtute, & illa quam ab ipso accepimus. At non sequitur illam nostram non esse, suoque auxilio liberè productam: quemadmodum certissimè accipimus alimenta à Deo; nec ideo tamen, nos non seminasse, non laborasse dici possumus. ¹² Coronari ab ipso est, opus autem abs te est; sed non nisi ipso adjuvante. Ridiculum sophisma continet hæc argumentatio: Electio & determinatio nostra ad bonum, est aliquid bonum: sed omne bonum à Deo est: Igitur nostra ad bonum determinatio non à nobis; sed à Deo est. Particula, quæ conclusioni adjicitur, virtuosum efficit syllogismum. Omnia à Deo sunt citra dubium, sed radicaliter, & potestativè. Sed lepida foret consecutio, si quis inde deducere vellet, homines idcirco nihil operari, nec animo, nec corpore. Expresit crebro Augustinus: ¹³ Quanquam sibi quis tribuat, quod vocari obtemperat: neminem tamen posse sibi tribuere, quod vocatus sit.

3. EXISTIMASSE fertur Augustinus, imposuisse Deum homini præcepta servatu impossibilia; ad quæ proinde observanda non acceperit facultatem. Everteret hoc principium, quidquid libri noni articulo 1. demonstravimus; nimirum docuisse ipsum præ cæteris fuisse nos donatos à Deo vero libero arbitrio. Quam insolens enim libertatis genus foret, aliqua posse, alia

(1) ep. 195. n. 38. (2) ep. 186. n. 4. n. 10. vid. ep. 157. (3) ad Bonif. l. 2. n. 15. (4) de præd. SS. n. 10. (5) Dona Dei naturalia suspicari. . . Nunquid enim &c. (6) ibid. eam fidem posse habere sit omnium. (7) de Spir. & lit. n. 57. (8) n. 58. (9) de lib. arb. l. 3. n. 45. (10) de pecc. mer. l. 1. n. 31. (11) de gr. & lib. arb. n. 15. (12) Serm. 333. n. 2. (13) Exp. in ch. ep. ad Rom.

non posse implere praecepta? Verum tam longe ab impiâ hac opinione abest Augustinus, ut è contrario non alio, quàm ipsum impugnandi studio inventa fuisse videatur. Legitur in ipsius scriptis: ¹ Nunquid tam multa, quae præcipiuntur in lege Dei... indicant aliud, quàm liberum arbitrium? neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem (hoc est, arbitrium,) quâ Divinis præceptis obediret. Nihil majori vehementiâ & claritate inculcavit Sanctus noster. ² Non jubet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri, quis hoc nesciat? Peccati reum tenere quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit summâ iniquitatis est, & insania. Firmissime creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere. Non imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut ab homine fieret. His atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcipere &c. Quasi nostrum hoc ullus ignoret, quod si volumus, non peccamus; nec præciperet Deus homini, quod esset humana impossibile voluntati. Præmissis demum prudenti ratiocinio concludit: Non igitur Deus impossibilia jubet. Ad S. Augustinum itaque speciatim respexit Concilium Tridentinum, quando fulmen torquens in dicentes ³ Dei præcepta homini etiam justificato... esse ad observandum impossibilia, affirmavit propositionem hanc fuisse jamtum à Patribus sub anathemate prohibitam.

Non docuit
Augustinus
desse gratiam ad
servandam præcepta.

4. Ex imposturâ hac enascitur alia; docuisse nimirum S. Augustinum, quod ad observanda quædam præcepta desit gratia. Contradicunt ista illis, quae articulo nono demonstravimus. Docuisse nimirum ipsum, quod Deus gratiam omnino necessariam summâ largiatur clementiâ. Quem admodum autem ad consequendam salutem opus est, omnia implere præcepta: ita necessaria quoque est illa gratia, quâ omnia possimus implere. Unde dicere nunquam poterat, aliquorum præceptorum implemionem defectu gratiæ reddi impossibilem. Qui ista prædicat, refragatur directè sensus magni Patris nostri. Nihil nobis sit impossibile: ⁴ Adest enim ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium. Synodus Arausica aliud ferè non egit, quàm repetere ipsius dicta, quando defini- vit: ⁵ quod acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati, non aliqua tantum præcepta, sed omnia, quae ad salutem pertinent,

possint, & debeant... si voluerint, implere. Gratia quippe ⁶ secundum ipsum adjuvat, ut legis quisque sit factor; non unius duntaxat partis. Docuit, hominem, ne culpam ante Deum contraheret, accepisse & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem. ⁷ Talem autem eam dicere non potuisset, si non existimasset sufficientem ad morem omnibus præceptis gerendum. Quoties quisque est, qui ignoret, ⁸ Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile nihil esse? ⁹ Jubet Deus ut facias; sed ipse dat vires, ut, quod jubet, impleri possit. Hinc est, quod Sanctus affirmavit: ¹⁰ Non est durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat. Non possunt obstare insidiæ, & robur demonis, ¹¹ qui enim dat potestatem tentatoris ipse tentato præbet misericordiam: ad mensuram enim permittitur tentare diabolus. Nihilum itaque discessit à doctrinâ Augustini ultima œcumenica Synodus, quando docuit: ¹² Deum, sicut cepit opus bonum, ita perfecturum; nisi ipsi homines illius gratiæ defuerint. Tantum quippe abest, ut gratia sit id quod desit aliquando ad præcepta magis ardua. Ecce igitur, quod, ubi Author noster habet dictum illud etiam à Concilio iteratum: ¹³ quod Deus jubendo admonet, & facere, quod possis; & petere, quod non possis, intelligat justos cum in rebus difficilius succumbere se sentiunt, recurrere ad orationem debere. Hinc paulo post commendavit: ¹⁴ Ubi difficultatem aliquam sentiunt, ... facilitatem à Domino impetrare persistant. Hoc sensu dicit alibi: ¹⁵ Ideo jubet aliqua, quae non possumus, ut novemur, quid ab illo petere debeamus. Docuit etiam ibidem, per gratiam à Deo corroborari voluntatem, ... ut possit implere Divina mandata, quae voluerit, cum valde perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet, quod scriptum est: Si volueris, conservabis mandata, ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, ideòque oret, ut firmiorem obtineat voluntatem, seu, ut alibi scripsit, ut impetret donum facilitatis. Hinc denuo scripsit: ¹⁶ Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam. Ideo, repetit ipse, ¹⁷ in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quàm viribus, quia & ipsas vires, quantas hic habere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem rogamus.

(1) de gr. & lib. arb. n. 8. (2) n. 32. de duab. anim. n. 17. de nat. & gr. n. 83. in Pl. LVI. n. 1. de pecc. mer. l. 2. n. 7. - n. 3. de nat. & gr. n. 50. (3) Conc. Trid. sess. 6. c. 11. (4) in Pl. LVI. n. 1. (5) Syn. Araus. sub fin. (6) de gr. & lib. arb. n. 24. (7) de lib. arb. l. 3. n. 45. (8) de pecc. mer. l. 2. n. 7. (9) Serm. 32. n. 9. (10) Serm. 96. n. 1. (11) in Pl. LXVII. n. 10. (12) Conc. Trid. sess. 6. cap. 23. (13) de nat. & gr. n. 50. (14) n. 82. (15) de gr. & lib. arb. n. 31. & 32. (16) de perf. just. n. 21. (17) Op. imp. l. 6. c. 15.

Augustinus
docet Chri-
stian mor-
tuum esse
pro omni-
bus.

V. NUNQUID & persuadere nobis conabuntur adversarii, etiam hoc suum principium, quod Deus non mortuus sit pro omnibus, sed pro solis prædestinatis, quod non omnes salvos velit, sed illos duntaxat, qui salvantur, se derivasse ex Augustino? At quantum hoc adversetur omnibus illis, quæ toto vitæ suæ tempore docuit, milles jamtum observavimus. Affirmavit, Deum judicaturum esse mundum universum, ¹ non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit. Reperit sæpe: ² pretium tantum redemit omnes captivos. Christus ³ pro impiis mortuus est; non tamen, ut impii permanerent; sed, ut iustificati ab impietate converterentur, credentes in eum, qui iustificat impium. Adnotavimus jamtum, atque hic denuo confirmatur, impiorum nomine sæpe infideles Augustinum intelligere. En igitur, etiam pro illis redemptorem mortem gustasse. Vidimus jamtum suò locò, quomodo contra Julianum peccati originalis communionem ex eo ostenderit, quod habeamus ex Apostolo communem fuisse omnium ex morte Servatoris redemptionem. Neque locum reliquit Sophismatis; siquidem explicavit, mortuum ipsum fuisse pro omnibus, & singulis. ⁴ Si Salvator est omnium hominum, ergo & Joannis; neque enim Joannes non homo. Possitne credi contradicere ipsum voluisse Evangelistæ, apud quem legitur satisfecisse redemptor non pro ⁵ nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi peccatis? & Concilio Niceno, quod asseruit descendisse è Cælo redemptorem propter nos homines, hoc est pro universo hominum genere; non propter nos prædestinatos, aut propter nos fideles? Hæc, aliæque multæ auctoritates satis nobis innuunt, quod, ubi contrarium asserere videtur Augustinus, alio sensu eum interpretari oporteat. Duo potissimum loca sunt, de quibus concitatus fuit, & adhuc cieri pergit ingens strepitus. Primus est, ubi aliud planè agens hanc adduxit comparisonem: Sicut ⁶ omnis, qui Christi sanguine redemptus est, homo est; non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemptus est; ita &c. Alter, ubi in argumento planè diverso, dicit per transfennam, bene etiam agi de illis qui ⁷ quæ subtilissimè differuntur, ignorant; quia non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est. Quis autem non videt, intelligere hic Augustinum ipsum redemptionis beneficium in actu secundo; non perire nimirum illos, qui ex ipsius morte

Explican-
tur quedam
ejus loca.

fructum referunt? Potest rectè dici Christum non mortuum esse pro damnatis quoad effectum; quia relatè ad hos idem est, ac si mortem pro iis non oppetiisset. Ex quo tamen non inferitur, non habuisse animam juvandi omnes, aut non posse omnes ex ejus morte fructum capere. Cum præmium proponitur omnibus, qui sumptis armis pro patriâ bellum gerent, dici verè poterit, non fuisse hoc præmium eorum, qui ob arma non arrepta id consecuti non fuere; neque tamen idcirco dici fas erit non fuisse propositum omnibus. Quapropter egregius ille Augustini Sæcutor: ⁸ Cum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus... potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit. Videri possit ad evitandas hæc de re cavillationes, memoriâ proditum reliquisse Augustinus: ⁹ Sanguis Domini tui, si vis, datus est pro te; si nolueris esse, non est datus pro te... semel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Christi volenti est salus; nolenti supplicium. Tractatu in Joannem, ¹⁰ in fufam à Christo in cruce pro carnificibus orationem factâ animadversione notat, non considerasse ipsum, quod ab ipsis moriebatur; sed quod pro ipsis moriebatur. Mortuus itaque etiam fuit secundum Augustinum pro crucifixoribus, ac pro iisdem preces fudit. Expresit itidem, Judam usque adeò ¹¹ à Domino fuisse redemptum. Unde certò non crediderit, redemptionem non fuisse pro omnibus.

2. Non sine dolo in rem suam vertunt Sæctarii, quod aliquando dixit Augustinus: ¹² nimirum tam multos salvos non fieri, non quia ipsi; sed quia Deus non vult. Sed loquitur ibi Sanctus de parvulis, quorum alii suscepti, alii non suscepti baptismo decedunt; quâ in re nullam certè partem sibi vendicat volitò parvulorum, sed Divina, atque hoc telo retundit Semipelagianos asserentes, non salvari à Deo, nisi eos, qui propriâ ad ipsum se voluntate convertunt. Inscrutabili suò iudiciò permittit Deus cursum suum causis physicis, & secundis; neque plura nobis fas est indagare. Docuit præterea S. Augustinus non ita tamen meræ voluntatis ac arbitrii esse hæc mysteria, ut sua illis non sublit ratio; scire tamen illas mortalibus nobis fas non esse, scituros hæc nos olim in Cælo. ¹³ Tunc non latebit, quod nunc lateat. Cum (*) de duobus parvulis unus esset (*) l. en. assumendus per misericordiam; alius per iudiciū relinquendus.

(1) In Ps. XCV. n. 15. (2) in Ps. CXXIX. n. 3. vid. l. 2. c. 6. l. 3. c. 2, 6, 7, 8. (3) Ad Simpl. l. 1. n. 18. (4) Serm. 292. n. 4. (5) 1. Jo. II. 2. (6) de conjug. adult. l. 1. n. 16. (7) ep. 269. n. 4. (8) Resp. 9. ad cap. Gall. (9) Serm. 345. n. 4. (10) in Jo. Tr. 31. n. 9. (11) in Ps. LXVIII. Serm. 2. n. 11. (12) epist. 217. (13) Enchir. c. 95.

Tunc non erat amplius occultissima illa aequitas, ¹ ab humanis ceteroqui sensibus remotissima, quā non specialis cuius praebetur misericordia; neque amplius erunt occultissima illa merita, propter quae, cuius vult miseretur, & quem vult, obdurat; item cur vivum relinquit illum baptizatum, quem impium Deus fore praescivit; & alium contra eripiat, nē malitia mutet intellectum. Hoc quoque nobis Deus revelabit, & si non in hac vitā; certe in alterā. De illo, quod Deus omnes velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ² alias disputavimus. Dixit Doctor noster, multis id modis intelligi posse; & pluribus etiam modis id exposuit; Circa omnem tamen hæsitationem locutus est, quando illud exposuit his verbis: ³ Vult Deus omnes salvos fieri; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium; quo vel bene, vel male utentes iustissime judicentur. Adultos itaque omnes salvos cupit, quantum est de se, & voluntate antecedente, conditionatā, non absolutā, & efficaci. Ut autem quisque adipiscatur salutem, variis cuique modis sufficiens praebet auxilium. ⁴ A panis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsis non sint inimici; & non resistant misericordiae Creatoris sui, misit unigenitum filium suum.

3. Quisquis in depravando Augustini dogmate operam ponit, veteratoris partes agit, dum tueretur solis ad Caelum destinatis gratiam obvenire; ceteros omnes eādem privatos manere. Nihil sanē magis pugnare possit cum eo, quod toties defenderit: ⁵ Omnes homines posse, si velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum; quod toties docuerit; Deum ipsum subministrare nobis vires certantibus, quantas hic habere nos competit; quod toties mentionem fecerit de adiutorio gratiae, quod, nē peccemus, accipimus. Refert in disputationibus suis locum illum D. Pauli, ex quo colligitur nunquam committere, ut desit gratia sufficiens ad superandas tentationes; quo fit ut illae crebro etiam prosint. ⁶ Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Proinde, ait, ⁷ hominibus natura filius irae propterea dantur praecepta vivendi; quia datur & gratia, ut qui jubet, juvet. Omnibus itaque, ipso docente, praebetur auxilium, & gratia; quia praecepta feruntur in omnes; neque id de solis ad Caelum destinatis; sed & de filiis irae intelligendum est. ⁸ Datur tem-

pus, & locus penitentiae etiam filiis irae deditis mori, & penitentiam non acturis. Nemo magis constringebatur ad exprimendum bene, quod gratia concedatur omnibus, quā Augustinus; quia nemo, uti suo loco vidimus, altioribus tibiis cecinerat, omnes homines posse, si velint; ⁹ quod si factum non fuisset, suspicari quis potuisset, posse quidem omnes; at se ipsis, sine gratia. Interpretaturus postea psalmos asseruit: ¹⁰ Verbum... mortalitatem nostram suscipiens non permisit ullum mortaliū excusare se de umbra mortis. Sic increpuit volentes conferre culpam in Deum: In omnibus adest, quia ubique semper est, qui complet omnia: nulli enim deficit; nos deficimus; nulli, inquam, deficit, superabundat omnibus.

4. Quid dicemus de enormi haeretico-
rum illorum impostura, qui persuadere conati sunt inniti se Augustino, cum spargebant Deum non peccatis, quid? quod ne peccato quidem originis ad funestam praedestinationem moveri; sed suā potestate ac arbitratu non modò ad poenam; sed etiam ad peccatum praedestinare? Quā fronte ac temeritate opus non erat ad huiusmodi flagitium impingendum Augustino, qui tot repetitis vicibus praedicavit: ¹¹ Certum, & immobile teneri oportere, non esse iniquitatem apud Deum, quā quinquam, nisi malis meritis damnet. Neque posse unquam Deum iustum nulli obnoxiam peccato imaginem suam vitā privare aeternā. Vidimus jamtum, Deum ita praescivisse peccaturos, ut aeterno igne essent damnandi. Quod existimavit Augustinus peccasse Adamum quia sic voluisset, ac decrevisset Deus, contendunt apparere, ubi scripsit: ¹² Creatoris voluntatem rerum necessitatem esse; transferentes ridiculè ad causas liberas, quod ipse pronuntiavit de naturā rebus in ipsā creatione à Deo concessā. Ubi habet, quod ¹³ per culpam Adā in potestatem diaboli traditum sit genus humanum, adjungit: non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jussit; sed quod tantum permisit, iuste tamen. Nec ita sanē Deus deseruit creaturam suam, ut non se illi exhiberet Deum creantem, & vivificantem. Alio librò scripsit: ¹⁴ Extolli in superbiam propriae voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit, & adjuvat Deus. Et denuo: Credimus autem ex uno Deo omnia esse, quae sunt; & tamen non esse peccatorum auctorem Deum. Immo ad peccandum non adjuvamur à Deo.

Augustinus non docet, praedestinari homines ad infernum pro solo Dei libitu.

(1) Ad Simpl. l. 1. n. 16. de quaest. 83. q. 68. n. 4. de gr. & lib. arb. n. 45. (2) 1. Tim. II. 4. (3) de corr. & gr. n. 44. Enchir. n. 27. Epist. 217. n. 19. de Spir. & lit. n. 58. (4) De catech. rud. n. 52. (5) de Gen. con. Man. l. 1. n. 6. (6) Op. imp. l. 6. c. 15. de pecc. mer. l. 2. n. 24. 2. Cor. XII. 9. (7) Op. imp. l. 4. c. 129. col. 1216. (8) c. 131. (9) Retr. l. 1. c. 10. (10) in Ps. XVIII. enar. l. (11) Cont. Jul. l. 4. n. 45. l. 1. n. 32. (12) de Gen. ad lit. l. 6. n. 26. (13) De Trin. l. 12. n. 16. (14) de pecc. mer. l. 2. n. 33. de lib. arb. l. 1. n. 4. de pecc. mer. l. 2. n. 5.

Sed videamus compendio oppositiones, aut indignas potius criminationes, quibus antiquis iam tum temporibus laceratus fuit Augustinus, occasionem præbentibus iisdem ferè dictis ambiguis; quod nimirum doceat, per prædestinationem homines, ceu per fatalem quandam necessitatem impelli ad malum; nihil valere liberum arbitrium; nolle Deum omnes salvare, sed certum duntaxat prædestinatorum numerum; creare majorem humani generis partem ad damnationem æternam; esse nostrorum auctorem peccatorum; committi flagitia, quia Deus, ut fierent, prædestinavit. Videantur item responsiones, quibus omnes illos, qui aut non intelligendo, aut intelligere nolendo stolidas adedò oppositiones jactitabant, excepit S. Prosper in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur.

5. IDEM esto iudicium de hominibus qui ejusdem commentariis in Jacobum, & Esavum abuti fuerunt conati. In capite quodam Operis imperfecti congesta sunt omnia loca; quibus innuitur electum fuisse unum, rejectum alium ante quàm nascerentur; non pendere id à voluntate nostrâ; non possere fuisse Deo &c. At quid demum concluditur? spectare² ad misericordiam gratuitam, non debitam, præparare ex falsâ condemnatâ vasa in gloriam, non inter Judæos solum, sed & inter Gentiles; deinde, gentes ex fide apprehendisse justitiam; & omnem, qui invocaverit nomen Domini, salvum fore. Ita quoque in quodam capite Enchiridii, odium habitum fuisse Esau; non haberi rationem operum, obdurare Deum homines, aliæque hujusmodi phrasæ primo intuitu duriores collectæ sunt. Sed habetur eodem capite: *Ambo itaque gemini, naturâ filii iræ nascebantur; nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti Deus autem unum horum dilexit per gratuitam misericordiam.* In epist. ad Sixtum: ³ *Quid enim diligebat in Jacob, antequam natus fuisset, aliquid boni, nisi gratuitam misericordiâ suâ donum? & quid oderat in Esau, antequam natus fuisset, aliquid mali, nisi originale peccatum?* Vidimus alibi, quomodo allusio de Jacob & Esau ex ipsius mente ad Synagogam Judaicam, & Ecclesiam Christianam referatur: quomodo item Paulinis illis effatis utatur adversus Semipelagianos; ostensurus, principium fidei & bonæ voluntatis non esse, nisi à Deo solo. Consulatur etiam epistola 186; quam ritè quis vocaverit Commentarium epistolæ ad Romanos. Certum

etiam nonnulli ponunt, quanquam finè gravi causâ, Esavum Patriarcham æternâ excidisse salutem; quando omnis potius ratio nobis contrarium persuadet.

VI. Ex hæcenus allatis colligi haud difficulter sanè potest, quàm alienæ ab Augustini sensu sint hæreticæ illæ opiniones, quos nonnulli ejus autoritate munere, ac ceu pallio quodam obvolvere conati sunt. Si anteriores etiam libros cum proximis connectimus, colligere itidem licet, quàm vanus sit hæreticorum dolus, cum fidem facere hominibus student, principia sua in re præsentī modò his, modò aliis etiam inter Catholicos receptis opinionibus consonare; cum item de controversiis inter Orthodoxos ferventibus tantum videntur sibi triumphum occinere. Quod contentant ipsi, genuinos Janfenii discipulos in rei summâ conspirare cum dogmate Lutheri, & Calvini, id quod toties, atque in tot impressis libellis jactitârunt à ratione profectò alienum non est. At, quod Catholicas etiam scholas de rei summâ non sentire gloriantur, adedò putidum, ac insulsum est, ut tempus nullo fructu consumpturum me existimem, si hæc de re iterum verba facere aggrederer. Non consentiunt modò omnes in dogmate; sed & dissensiones eorum, accuratè, ac seclusis theorematibus metaphysicis expensæ, adedò exiles, ac tenues evadunt, ut tantum non appareant. Versantur controversiæ circa prædestinationem, & gratiam. Sed quantum ad primam attinet, omnes conveniunt Catholici, prædestinationem ad fidem esse merè gratuitam: conveniunt gratuitam quoque in radice esse prædestinationem ad gloriam. Neque de hoc ullus ambigendi locus est; siquidem fatentur omnes, gratuitam esse illam gratiam, quâ compendantur merita, quibus porro à Deo gloria in præmium conceditur, fatentur merè gratuitum esse benignissimum illum providentiæ ordinem, vi cuius Deus meritis tam exilibus tam ingens rependit præmium. Conveniunt præterea, Deum prædestinantem videre futura cujusque merita, quippe quem clam esse nihil potest. Conveniunt, in infallibili prædestinationis suæ executione cujusque ipsius merita metiri, atque expendere. Omnes itaque ex æquo horrantur, ut omnem adhibeamus industriam, omnem conatum, in acquirendo regno Celesti. Quo igitur recidit controversia? Verùm non perinde se res habet cum sectariis: illi quippe profitentur, Deum mero arbitratu suo alios flammis æternis, alios Cælo, imò & peccato destinâ-

Hæreticorum fraus ex dictis colligitur.

Conferatur dogma Catholicum cum dogmate hæretico.

(1) S. Prosp. Resp. ad Gall. - resp. ad object. Vincent. (2) Op. imp. l. 1. c. 141. Enchir. n. 25. (3) epist. 194. n. 34.

se. Vanum ac inane esse nomen meritorum; sortes nostras ita jamtum certas, ac raras esse, ut operam perdat, qui mutare nunc allaborer, quod mutari non possit.

2. Quoniam gratiam spectat, consentiunt primum omnes Catholici, sine interiore hoc Dei dono non modò nullas nos habere vires faciendi actum bonum, sed nè volendi quidem, aut desiderandi. Consentunt, diversos esse gradus gratiæ, ita ut modò major, modò minor concedatur, eam tamen, quæ ad cognoscendi, adorandique Dei, benèque vivendi facultatem necessaria est, summâ clementiâ concedi omnibus. Consentunt quantumcunque demum vehemens, & efficax sit gratia, nunquam tamen ita intendi, ut necessitatem inferat, volente nimirum omnium rerum Domino, bonas nostras operationes nullâ esse necessitate constrictas. Consentunt, quocunque demum modo explicetur gratiæ efficacia, ejusmodi tamen eam esse debere, ut nè hilum officiat libertati indifferentiæ. Secundum hæc autem, quæ obsecro relinquatur gravis controversia? Disceptatur accedendi ingenii, atque viarum indagandarum causâ, quibus evolvatur, clariùsque ob oculos ponantur ea, quæ omnes cæteroqui fatentur explicari satis verbis nunquam posse. Secus se res habet cum sectariis, qui classicas omnium sæculorum doctrinas subvertentes, aliam dari nolunt gratiam, quàm supremam, & triumphatricem; constitui nos per hanc in abso-

lutâ necessitate bene operandi; omnia ipsi permittenda esse, omni à nobis in ipsam curâ rejectâ; nullamque concedi gratiam nisi hominibus ad Celestem gloriam destinatis.

3. Duo habemus fidei capita, quæ secum videntur pugnare. Nimirum, quod homo libero polleat arbitrio; & quod homo spectatâ salute æternâ ex se non possit nisi malum, Apparens hæc antilogia duas suscitavit hæreses; alteram Pelagii, dicentis hominem posse ex se bonum perinde ac malum; alteram Lutheri, & Calvini, docentium post Adami peccatum non liberum ampliùs, sed servum esse arbitrium. Pluribus jam locis intelleximus, eximio Doctore nostro quo modò Catholici utrumque scopulum declinent. *Homo sine Divina gratia non habet facultatem merendi.* En primam debellatam hæresin! *Gratia autem, quæ ad hoc ut quis possit ad Deum converti, necessaria est, omnibus ab ipso conceditur.* En alteram quoque debellatam! *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Est igitur potestas, en unum fidei caput! sed ideo est, quia datur nobis à Deo; en alterum! Atque hic tribus inclusum verbis habes systema universum Augustini! Dogmata ipsius tribus aliis concludi in hunc modum possunt: *bonum totum à Deo est: malum contra totum à nobis est.*

(1) Retr. l. 1. c. 22.

FINIS LIBRI DECIMI QUARTI



HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER XV.

Quo ostenditur, quantum pugnet D. Augustini authoritas cum multis aliis erroribus, quos hæc defendi posse persuadetur rudioribus.

PROSEQUEMUR hoc libro, telam, quam libro superiore non licuit totam pertere, planè atque explicatè proposituri veritatem Augustiniani systematis, ostendendo, quanto intervallo S. Doctor disjunctus fuerit ab opinionibus, quas ex eodem Quesnellum derivasse præseferunt factiosi. Quo prætermisso manca foret historia nostra, quâ polliciti fuimus antiquorum hæc in materiâ dogmatum, ac præcipuè Augustinianorum omnium feriem summâ fide, ac curâ exhibere. Legi-

tur in propositionibus damnatis, ¹ fidem esse primam gratiam; non dari gratiam, nisi per fidem, extra Ecclesiam autem nullam concedi gratiam. Involvunt hic sese & error contra dogma, & aperta repugnantia. Quo enim pacto ad fidem adducuntur infideles, si nemini, nisi fideli conceditur gratia? quo item pacto fides esse potest prima gratia, si sine præveniente gratiâ haberi nequit fides? Consonant ista cum Jansenio docente: ² primam gratiam esse fidem; cum thesibus Bajanis: ³ omnia

Dogma Quesnelli & Jansenii.

(1) Prop. 26. 27. 29. (2) Jans. de gr. Salv. l. 3. c. 11. 3. Baji prop. 25.

G g 3